MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80417-5

AUTHOR:

KIRCHHOFF, ALFRED

TITLE:

DE APULEI CLAUSULARUM COMPOSITIONE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1902

Master Negative #

91-80417-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kirchhoff, Alfred, 1878-

De Apulei clausularum compositione et arte quaestiones criticae; dissertatio... quam... scripsit Alfredus Kirchhoff... Lipsiae, typis Teubneri, 1902.

32 p. 22½ cm.

Thesis, Göttingen.

Volume of Pamphlets

50030

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 1/9/92 INITIALS RD.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE APULEI

CLAUSULARUM COMPOSITIONE ET ARTE

QUAESTIONES CRITICAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS KIRCHHOFF
BRUNSVICENSIS

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MCMII

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulit F. Leo. Examen rigorosum habitum est a. d. III. Kal. Nov. a. MCMI. Tota commentatio in Fleckeiseni annalium supplemento XXVIII publici iuris fiet. Caput de Apulei verborum copia, quod opusculo insertum erat, ad tempus seponitur.

FRIDERICO LEONI

MEMORIAE GEORGI KAIBELI

Eduardus Norden in libro de artificioso veterum sermone, postquam alii viri docti de singulis scriptoribus eandem protulerunt sententiam, omne genus auctorum Graecorum et Romanorum persecutus ad eam universi libri pervenit summam, ut p. 11 haec statueret: „ein und derselbe Schriftsteller konnte nebeneinander in ganz verschiedenen Stilarten schreiben, indem er bald diese, bald jene ἰδέα verwendete, je nachdem sie ihm für das vorliegende Werk zweckentsprechend schien.“ Actum igitur est de ea sententia, qua dialogus propter peculiare dicendi genus Tacito auctori eripi potuit vel magno temporis spatio a ceteris scriptis segregari.[1]) Sed haec variatio stili — liceat mihi non quidem ex usu Ciceronis, sed tamen Quintiliani et Plini iunioris per metaphoram hoc verbo uti — potius est summatim affirmata quam certis exemplis omnibus comprobata, quod mirum esse non potest, quoniam haec unica veterum stili ars extremis demum temporibus urbi et orbi innotuit. Nequedum Apuleio, ex quo mea quidem sententia optime et accuratissime omnium scriptorum Graecorum et Romanorum illustrari potest, qualis ars illa sit, operam studiumque satis navaverunt viri docti. Apuleium ergo tractandum mihi proposui eo consilio ductus, ut diversorum librorum diversum genus dicendi patefacerem; imprimis autem evincere studebo, quod stili discrimen intercedat inter metamorphoses et reliqua scripta.

Facere autem non possum, quin hanc disputationem in qua saepius ex minutissimis rebus magna merito concludi videantur, incipiam ab ipsius Apulei verbis f 9, 14[2]): ʻquis enim vestrum mihi unum soloecismum ignoverit? quis vel unam syllabam barbare pronuntiatam donaverit? quis incondita et vitiosa verba temere quasi delirantibus oborientia permiserit blaterare?ʼ

In dissertationum Vindobonensium volumine sexto Fridericus Gatscha egit cum de aliis rebus tum de Apulei sermone numeris adstricto, neque potest dubitari, quin vir doctus numerosam Apulei

---

1) cf. F. Leo Gött. gel. Anz. 1898 p. 175 sq.

2) Locos afferam secundum has editiones Apuleianas: Vlieti metamorphoseon, Kruegeri apologiae et floridorum, Goldbacheri opusculorum philosophicorum; eam locos afferendi rationem ubique secutus sum, ut priore numero indicem paginam, posteriore versum ponam; numeris praeposui signa, ut primo obtutu appareret, de quonam Apulei scripto ageretur; velim ergo explices: a = apologia, f = florida, m = de mundo, p = de Platone et eius dogmate, s = de deo Socratis, as = [Asclepius]; numeris metamorphoseon signum non praemisi.

rationem tantum tetigerit, minime autem accurata investigatione Apulei numerorum artem absolverit, cum praesertim solum clausulas tractet; sed neque difficile intellectu neque probatu est numeros ab Apuleio in sublimi dicendi genere, quo in orationibus et artificiosis descriptionibus — ἐκφράσεις dico — usus sit, valde adpetitos esse; interdum etiam versus integros formavit. Quae numerosa compositio optime cognosci posse mihi videtur ex metamorphoseon libro undecimo tam sensu difficillimo quam forma artificiosissimo; ut unum afferam, incipit prima asini deprecatio ab choliambo cf. XI cap. 2:

'Regina caeli sive tu Ceres alma.'

Accedunt alia exempla velut hi senarii:

15, 23 "'en' inquam 'explere latice fontis lacteo."

182, 8 'rursum requirit annos aetatis meae.'

188, 10 'percoctum adpone domino cervini vicem.'

Etiam remotiora inveniuntur metra,

cf. hunc septenarium trochaicum:

91, 4 'iustitiam fidemque magnus comprobavit Iuppiter.'

Septenario adici potest tetrameter Ionicus:

152, 24 inscensu generoso multas mulas alumnas.'

Deinde Gatscha etiam in eis, quae revera sibi tractanda proposuit, nimis neglegens est; quamquam enim sententias ab Haveto[1]) et Meyero[2]) de clausularum hiatu prolatas bene novit, tamen oculis caligine quasi offusis id solum agit, ut virum doctum quendam secutus putet 'binis vocalibus hiantibus vim metricam prioris neglegendam esse.' Neque ei in mentem venit quaerere, num omnino in clausulis vocales collidantur. Quae cum ita sint, Gatschae dissertationem de clausulis Apuleianis omnino omittere possum.

Quaestionem de concursionibus vocalium, quae in clausulis fiunt, pauci adhuc viri docti tetigerunt. Nordenus l. l. quamquam ex litteris Graecis multa congessit, ut ostenderet vocalium concursus magno opere inde ab Isocratis temporibus esse evitatos, non quaesivit, num etiam apud auctores Latinos lex illa venustae compositionis ab Graecis tam diligenter observata vigeret. Quo factum est, ut etiam in appendice altera solum de numeris clausularum ageret hiatu neglecto, qui fit inter verbum ultimum et paenultimum. Primus, quod sciam, Havetus l. l. animum intendit in clausularum hiatum; in singulis rebus multum profecit. Tot autem vocalium concursiones invenit in Symmacho, ut ad certum finem non perveniret. Ad me pertinet Havetum putare verborum coniunctionem hiulcam esse, si ultimo a

1) L. Havet, La prose métrique de Symmaque et les origines du cursus, Bibliothèque de l'école des hautes études quatre-vingt-quatorzième fascicule, Paris 1892.

2) W. Meyer: Die rythmische lateinische Prosa und L. Havet . . . Götting. gel. Anzeig. 1893.

vocali incipienti verbo anteponatur verbum aliquod terminatum syllabis -am, -em, -im, -om, -um. Meyerus, cuius quidem auctoritas in his rebus gravissima est l. l. p. 15/16[1]) hiatus quaestionem his verbis perstringit: „Die strenge Schule hielt in dem Satzschlusse die Regeln der Dichtkunst so weit fest, dafs sie innerhalb der Clausula auch den Hiatus meidet, d. h. das vorletzte Worte schliefst nicht mit Vokal oder m, wenn das Schlufswort mit einem Vokal anfängt."

Quos viros sequitur Haveti discipulus H. Bornecque[2]), qui in Ciceronis epistulis subtilem clausularum compositionem indagare conatus est. Aequo animo confiteor me illius libri consilium et rationem intellegere non posse. Quomodo quis in epistulis non publicae lectioni scriptis artificiosum genus dicendi quaerere potest? Qua ratione optimum illud Quintiliani testimonium negleget IX 4, 19 'est igitur ante omnia oratio alia vincta atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de philosophia, de re publica similibusque' . . .

Sed non solum tota indole, verum etiam in singulis Bornecque naufragium fecisse mihi videtur, cuius rei unum exemplum afferre sufficiat. p. 3 Ciceroni epistulas scribenti supponit 'l'intention d'écrire une lettre métriquement.' Attamen iam Dionysius Halicarnassensis de comp. verborum p. 402 edit. Schaeff. de auctore illo, quem si orationes scriberet, numeros apposuisse, accurate spatia verborum observavisse, summa cum cura enuntiata ad limam elaboravisse homines cavillarentur, hoc severum iudicium facit: 'ἠλίθιος μεντἂν εἴη εἰς τοσαύτην σκευωρίαν καὶ φλυαρίαν ὁ τηλικοῦτος ἀνὴρ ἑαυτὸν διδούς.' Mea quidem sententia Bornecque, si orationes Tullianas praecipue publice habitas tractavisset, non frustra laborem et tempus consumpsisset.

Sed ad propositum redeamus. Bornecque eadem ratione in quaestione de m finali utitur qua Havetus p. 6 hanc normam atque regulam constituens: 'Toute voyelle ou toute syllabe en -am, -em, -im, -om, -um, placée en hiatus à la fin d'un mot, s'élide.'

Videmus ergo viros doctos, quicumque de clausularum hiatu egerint, arbitratos esse m finale sicut in oratione vincta omnino ulla vi carere clausulasque in quibus voci littera m terminatae altera ab vocali incipiens subiceretur, hiulcas esse. Qui viri quantopere erraverint, equidem perquisitis Apulei clausulis comprobare studebo.

Sed necesse est me pluribus disputare, praesertim cum ex libro, quem conscripsit idem ille Bornecque[3]), perceperim, quantopere in tenebris haec omnia iaceant. Ille enim p. 18/19 de 'elisione' agit putatque statuendum esse discrimen inter synaloepham et 'elisionem.'

1) cf. etiam p. 4.

2) H. Bornecque, La prose métrique dans la correspondance de Cicéron, Paris 1898.

3) H. Bornecque, Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici ac rhetores Latini, Paris 1898.

Unde tales errores etiam extra scholarum muros orti sint, conicere facile potest qui in libro illo optimo de lingua Latina ab Lindsay composito p. 166 perversa de 'elisione' verba invenit.[1]) quod fieri mireris, postquam Corssenus[2]) vol. II p. 770—793 egregie **naturam synaloephes Latinae** exposuit.

Per elisionem Romani pronuntiaverint necne, si duae vocales concurrebant, bene cognosci potest ex ipsius vocis 'elisio' usu; nusquam Ciceronis et Quintiliani temporibus agitur de 'elisione', prorsus illis ignotum est vocabulum; 'eliditur' vocalis demum apud nonnullos grammaticos vergentis aevi, quorum testimonia non ad Ciceronis Quintilianique tempora referri possunt eaque de causa ut futtilia abicienda sunt. Contra, si de pronuntiatione vocalium concurrentium locuntur Cicero et Quintilianus, usurpant velut haec verba: 'coitus syllabarum' (Quint. IX 4, 59), 'conglutinatio verborum' (Cic. or. 23, 78); sed etiam apud grammaticos quarti quintique saeculi verae pronuntiationis vestigia servata esse ex Pompeio p. 298 K, Donato p. 396 K aliisque discimus. Dubiae autem auctoritatis sunt, cum Ciceronis Quintilianique praecepta recoquere soleant. Notum est illud Ciceronis (orator 44 [150]): 'quod (sc. duarum vocalium concursionem) quidem lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui nolit vocales coniungere'; idem or. 44 (152) haec disserit 'nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur.' Ciceroni addere possumus hoc Quintiliani testimonium IX 4, 36 'coeuntes litterae, quae συναλοιφαί dicuntur.'

Satis mihi in promptu esse videtur alteram vocalium concurrentium pronuntiando Romanos non 'elisisse'; sed vocales in unum quasi corpus coalescebant, ut ex duabus vocalibus fieret unus sonus communis. Neque potest mirum esse, quod vocalium conexus hic artior sit quam illic, prout natura vocalium sit; consentaneum est conglutinationem saepe eo tantum processisse, ut vocales concurrentes quadamtenus remanerent, ut 'tamquam hiatus' (Quintil. IX 4, 37) efficeretur. cf. etiam ibidem IX 4, 33. Coitus autem ille vocalium quomodo factus sit, ex pluribus veterum auctorum locis apparet. Quintilianus IX 4, 33 sq. sic loquitur: 'pessime longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt: praecipuus tamen erit hiatus earum, quae cavo aut patulo maxime ore efferuntur. e planior littera est, i angustior, ideoque obscurius in his vitium. minus peccabit, qui longis breves subiciet, et adhuc qui praeponet longae brevem. minima est in duabus brevibus offensio. atque cum aliae subiunguntur aliis, proinde asperiores aut ⟨leniores⟩ erunt, prout oris habitu simili aut diverso pronuntiabuntur.' Quintiliano autem adicienda

1) cf. etiam F. Sommer, Handbuch der latein. Laut- und Formenlehre p. 319.
2) Corssen, Über Aussprache, Vocalismus und Betonung der Lateinischen Sprache. 2. Aufl. 1868—1870.

sunt testimonia Diomedis p. 466 K, Pompei p. 287 K, Servi comm. in Donat p. 445 K, Iuli Victoris p. 432 Rh. Lat. min. ed. Halm.

Molestae ergo linguae Romanae vocalium concursiones erant, et, ut verbis auctoris ad Herennium IV 18, utar, vastam atque hiantem orationem reddebant. Quare rhetores praeceperunt hiulcam verborum compositionem esse fugiendam. Attamen fieri non potuit, quin saepe in contextu verborum vocales congrederentur; quae quomodo sese habeant, nos quidem ex Quintiliani aliorumque locis discere possumus, quos iam summatim expediam: confusio duarum longarum vocalium est gravissima, mediocri offensioni sunt concursiones vocalium longarum et brevium; breves vocales minime pronuntiationi laboriosae sunt; momentum autem facit non solum quantitas vocalium coeuntium, sed etiam qualitas.

Confiteor futurum fuisse ut multo melius de synaloepha Latina iudicare possemus, si Quintilianus subtiliore et uberiore quaestione usus esset, quod quidem eius nihil intererat, cum genus suum pronuntiationis Romanos docere ineptum fuisset. Sed hac in re ratiocinatione aliquantum proficere videmur. Verisimile est persaepe sonum illum coeuntibus litteris effectum, ut ita dicam, irrationalem fuisse; praevalebat enim tantopere altera vi et colore vocalis, ut altera evanesceret fere; non absurdum est putare Romanos pronuntiasse velut 'in memoria(e)rat' sic, ut ā longa multo magis exprimeretur quam ĕ brevis, praesertim cum haec littera subsequeretur. At si coniungerentur velut 'queaurum' synaloephes sonus diphthongo 'au' simillimus fuisse putandus est. Comprobantur ea, quae disputavi, copulae 'est' ratione; constat enim 'est' in conexu verborum accentu gravi privatum omni vi tantopere caruisse, ut suis pedibus stare non posset. Quo effectum est, ut etiam genuina vocalis 'e' natura extenuaretur, quae, si collidatur cum vocali antecedentis verbi velut 'multa est' prorsus fere evanescat. 'multast' pronuntiatum esse edocent nos grammatici, 'multarat' (intellege 'multa erat') autem praecipere non poterant, cum haec 'e' vocalis vocis esset non encliticae; 'e' certe in voce 'erat' obscurabatur non delebatur, cum in synaloepha poneretur.

Exposita igitur strictim synaloepha Latina deinceps dicendum est **de m finali**, quod in clausulis synaloephae omnino non obstare viri docti omnes persuasum habent. Id autem velim ubique respiciatur me tantum agere de m finali, cui subiungatur verbum aliquod a vocali incipiens; diversam apparet esse quaestionem, si consonans littera subicitur. In universum Seelmannus[1]) Corssenum secutus putat sic pronuntiatum esse m finale ante vocalem positum p. 356: „auslautendes m vor vokalischem Anlaut sinkt zu einem flüchtigen, nasalen, bilabialen w-artigen Spiranten herab, zu einem den Hiat

1) E. Seelmann, die Aussprache des Latein nach physiologisch-historischen Grundsätzen, Heilbronn 1885.

ausfüllenden blaseartigen Gleitlaut.“ Recte Seelmannus mihi intellexisse videtur m finale ante vocalem positum aliquo modo pronuntiatum esse; quod modum ipsum pronuntiationis attinet, noli quaeso Seelmanni verba urguere. Sed, ut in gravissima re par est, denuo retractanda quaestio illa mihi videtur. Tria adhuc subsidia suppetebant quaerentibus: testimonia rhetorum et grammaticorum Latinorum, deinde oratio vincta, quae et auctorum scriptis et lapidibus comprehenditur, tum inscriptiones, quibus quartum equidem clausulas Apuleianas adicio. Primo loco quaerendum est de grammaticorum et rhetorum doctrina; facere autem non possum, quin ipsa verba grammaticorum afferam:

Quintil. IX 4, 40: 'atqui eadem illa littera (sc. 'm'), quotiens ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, ut 'multum ille' et 'quantum erat', adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat. neque enim eximitur, sed obscuratur et tantum in hoc aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant.'

Annaeus Cornutus apud Cassiodor. K. VII 147, 24: 'si duo verba coniungantur, quorum prius 'm' consonantem novissimam habeat, posterius a vocali incipiat, m consonans perscribitur quidem, ceterum in enuntiando durum et barbarum sonat.'

Melissi, grammatici circa annum centesimum vigentis[1]), doctrinam servavit Pompeius p. 287 K: 'Myotacismus est, quotiens inter duas vocales m positum exprimitur, ut si dicas 'hominem amicum', 'oratorem optimum.' non enim videris dicere 'hominem amicum', sed 'homine mamicum', quod est incongruum et inconsonans.' similiter videris dicere 'oratore moptimum.' bonam rationem dixit Melissus, quo modo vitandum est hoc vitium, ne incurramus in aliud vitium. plerumque enim aut suspensione pronuntiatur aut exclusione: suspensione pronuntiatur si dicas 'hominem amicum' 'oratorem optimum', aut certe, si velis excludere, 'homine amicum', 'oratore optimum.' nos quid sequi debemus? quid? per suspensionem tantum modo. qua ratione? quia, si dixeris per suspensionem 'hominem amicum' et hoc vitium vitabis, myotacismum, et non cades in aliud vitium, id est in hiatum. nam si volueris dicere 'homine amicum' vitas quidem myotacismum, non tamen vitas hiatum.' Hoc Pompei praeceptum iisdem fere verbis et exemplis repetit Servius comm. in Donat. p. 445 K.

Alia autem medela usus est in emendando myotacismi vitio Consentius p. 394 K: 'sicut plerumque passim loquuntur 'dixera millis'[2]) 'specie maceti' 'facie maiacis'; huius vitii remedium est primum, ut, quoties sic sonat, pars orationis aliqua interponatur non

1) cf. Gellius XVIII 6, 1.

2) perversam esse Keili distinguendi rationem non negare potest, qui Pompei disputationem de myotacismo intellexit. m littera coniungi debet cum verbo sequenti.

a vocali incipiens, ut si haec emendare velimus 'dixeram tunc illis' 'speciem boni aceti' 'faciem furentis Aiacis.''

His grammaticis pauci adiciendi sunt, qui putant m finale in enuntiatione non apparere, velut Vel. Long. p. 54 K, Caecil. Vindex apud Cassiod. p. 206 K, Diomedes p. 453 K; sic hi intellegendi esse videntur, ut parum tantum litteram 'm' expressam esse dicere velint.

Quattuor exscripsi testimonia inde a Quintiliani temporibus usque ad quintum post Chr. nat. saeculum; sed amplificari posse videtur hic ordo: quomodo enim fit, ut Cicero, qui multis et aptissimis verbis a Quintiliano summa laude elatis de concursione vocalium egerit; qui in oratoris § 153 locutus sit de elisione s litterae finalis, tam constanter de m finali taceat? Quae est in his rebus, quas etiam ante Quintilianum grammaticis cordi fuisse ex Verrio Flacco intellegimus, ratio Ciceronis? Ex silentio eius id efficere nobis licet m finale vocales concursu iam tunc prohibuisse.

Persuasum ergo habeo imperatorum Romanorum temporibus m finale subsequente vocali alterius vocis non solum scriptum, sed etiam sono quodam pronuntiatum esse grammaticorum testimoniis comprobari. Libenter autem concedo sonum illum valde debilem fuisse naturamque eius vix definiri posse; hac autem re factum esse videtur, ut pauci grammatici putarent omnino elidi litteram m. Causa, quae omnium fere animos ab vero percipiendo prohibuit, ea videtur fuisse, quod versuum ratio alia est. At ex prosa oratione auctoris cuiusdam Latini cognoscitur, quam recte grammatici de 'm' finali egerint. Est Apuleius: in eis, quae secuntur, evincam neminem scriptorum Latinorum, quoscumque hucusque tractaverint viri docti, tanto opere concursionem vocalium in clausulis effugisse quam Madaurensem; contra nusquam eum dubitare verbo in -m litteram cadenti vocalem vocabuli sequentis subiungere. Huic alterum validissimum argumentum accedit, quod numeri subministrant. Nam, si metricam vim syllabae quae exitum in -m habet non neglegimus, plurimis locis legitimum illum numerum creticum vel trochaicum assequimur, cuius in eis quae secuntur has quattuor species recipio[1]): 1) ‒ ◡ ‒ | ‒ ◡ ∼ 2) ‒ ◡ ‒ | ‒ ∼ 3) ‒ ◡ | ‒ ∼ 4) ‒ ◡ | ‒ ◡ | ∼.

Iam vero omnes **Apulei metamorphoseon clausulas** afferam, **in quibus verbum paenultimum in m litteram exit, extremum a vocali incipit.** In ordinem autem redactas proponam clausulas[2]), ut appareat, quatenus melior fiat rhythmus.

Primum congeram clausulas, in quibus -um + est invenitur; haec enim coniunctio peculiaris generis est neque numeri, si integras relinquimus syllabas -um + est, meliores fiunt neque peiores sicut

1) cf. ad 1—3 Norden l. l. p. 930. ad 4 Gatscha l. l. p. 167, qui immerito has clausulas trochaicas intellegere videtur creticas.

2) Respicio autem tantum plenos sensus colorum clausulis omissis. cf. ea quae pluribus disputavi p. 21 sq.

ex ipsis locis facile apparet. Non neglegendum est illud, quod Diehl[1]) statuit p. 118; perscrutatus est enim vir doctus inscriptionum volumina neque ullum exemplum indagavit, quo pronuntiatio usitata, quae est '-umst', comprobaretur; saepius autem scriptum invenit '-ust' pro 'um + est'. Observatio Diehli valde notabilis est. Sed hae sunt clausulae, quae exeunt in -um + est:

I) 30, 21 – – dīscēssŭm ēst	117, 20 – ᴗ spērnēndŭm ēst
87, 6 ᴗ – căpēssēndŭm ēst	138, 22 ᴗ – lĭtātŭm ēst
117, 4 – – cōncēssŭm ēst	253, 23 ᴗ – ᴗ vīsŭm ēst.

Iam enumerabo clausulas, quae, etiamsi -um syllaba valet neque per elisionem m litterae cum posteriore coalescit, tamen neutra ratione ad schemata illa quattuor redigi possunt:

II) 41, 11 prāēsēntārĭăm ēxpĕrĭārīs	235, 10 ĕpŭlōnŭm ēxpēctātiŏ
106, 18 sēcŭm āltērcāntēs	260, 28 Āegўptĭōrŭm ēffĭgĭātā.
226, 7 sŭŭm īntērcēptŭm	

His clausulis eas subiungam quarum bonus numerus neutra ratione mutatur, cum omnibus fere locis clausula efficiatur uno verbo longissimo. Hac autem de causa in censum vocari non possunt. Sunt hae clausulae:

III) 2, 16 praesidium ēlĭquārēt	110, 23 delapsum ēvŏlāssēt
4, 10 sum Aegĭēnsīs	136, 18 fortissimorum ōccīsĭōnēs
7, 10 ipsum inlūmĭnārē	142, 17 officium īndícābāt
30, 17 – tŭŭm ădĕrō	147, 18 confestim īntĕrīvīt
32, 29 peregrinātĭōnĕm īncĭdānt	148, 29 damnosam ūltĭōnĕm
35, 21 voluptatem īntĕgrāntīs	149, 1 vestram exērcŭĕrĭtīs
37, 14 sepulturam āntĕvōrtūnt	197, 15 quadam ārbĭtrābār
37, 27 quorundam īnsŏlēntĭā	204, 28 fămĭlĭārēm īncĭdī
40, 6 cŭbĭcŭlŭm īndūcĭt	208, 6 destinātăm ălĭī
46, 1 – căchīnnŭm īntĕgrānt	213, 2 cariem ēxŏlēscūnt
47, 16 carnificem ĭmāgĭnābūndūs	218, 26 ăsĭnŭm īstūm
85, 21 lăcĕrāntĕm ādvĕhēbānt	234, 20 coram ārbĭtrātūr
88, 27 pērcūssŭm īntĕrēmĭt	241, 8 secrētŭm ăpĕrŭĭt
93, 28 poenam ēfflāgĭtābāt	247, 11 Mercurium īndĭcābānt
	248, 23 commodum īnvŏlāssē.

Omnibus autem his clausulis, ut par est, omissis iam iis, quae restant, comprobare possumus syllaba illa in -m exeunte neglecta compositionis numerum malum, servata autem optimum fieri. Huc pertinent loci, quos iam affero:

IV) 8, 20 civitātĕm ābsōlvīt	13, 12 lăquĕŭm īndŭō
10, 3 glădĭŭm āltĕrā	17, 3 laevōrsŭm ăbĭĕrūnt

1) Diehl, de m finali epigraphica in Fleckeiseni suppl. XXV.

17, 19 cŏmĭtĕm hăbĕāt[1])	55, 28 ambulābăm ōbtēctūs
18, 17 incipiēntĕm īnvĕnĭō	60, 10 utricīdăm āmplēctār[2])
22, 20 ventūrŭm ōrācŭlŭm	63, 27 lavācrŭm ēt pōcŭlŭm
26, 25 – – tēcŭm ēstō	64, 30 retinēbăm hūmānŭm
28, 2 pulmēntŭm āppărās	65, 10 stabulāntĕm īnvēnī
28, 3 dĭgĭtŭm īntīngĕrē	66, 6 deōrŭm īnfēstŭm
28, 11 explorāssĕm hăbĭtūdĭnēm	66, 17 nōctĕm īllūmĭnānt
33, 19 frūctŭm āmīttĕrēm	66, 24 gerulōnŭm ēxcēdĭt
35, 29 commeātŭm īndūlsīt	69, 22 tulīssĕm aūxĭlĭŭm
38, 12 Larīssăm āccēssī	73, 27 agminātĭm īngēstīs
43, 5 credulitātĕm īmpēllī	77, 19 vītăm ēvāsīt
43, 23 lūcĕm īnfūndē	79, 15 obeūndŭm ādrēxĕrāt
44, 2 certātĭm ādrēxīt	88, 22 fugiēntĕm ălĭēnīs
45, 20 fortūnăm ādgrĕdĭōr	92, 5 marīnŭm ōbsĕquĭŭm
48, 4 renitēntĕm ōccĭpĭūnt	100, 6 nequīquăm ēfflīgĭtīs
	102, 11 conlātăm īndīgnāe

1) Quae tradita sunt, corrupta esse cum sensu tum concursu vocalium cognoscitur.

2) sic puto scribendum esse, sed adicienda sunt ea, quae secuntur; in codice hoc traditur: 'amplectereres at si lepido.' quae verba varie emendaverunt viri docti, tamen sic ut omnes 'amplecterer' in contextum verborum reciperent. Sed hoc perperam factum esse mihi videtur. Quis est, qui putet Fotidem ratiocinari posse Lucium eo consilio utres exanimasse, ut ipsa eum utricidam amplecteretur? Contra haec Fotidis sententia esse videtur: tu quidem exanimasti, quo factum est, ut ego nunc utricidam te amplectar. Atque inter haec ipsa verba ad Luci complexum currit. sed ut breviter comprehendam enuntiatum de quo agitur non est 'finale' quod dicitur, sed 'consecutivum'; sequitur, ut non liceat mutare 'amplectereres' in 'amplecterer' omissis duabus ultimis litteris, sed distinguendum esse puto post 'amplecter', quod facillime ex 'amplectar' prodire potuit. Restant ergo 'eres at si lepido sermone Fotidis et in vicem cavillatus . . . inquam.' Proficiscendum est ab eo, quod est 'cavillatus', nam valde erravit Oudendorpius, qui p. 206 sic disserit: 'eo sensu passivo cavillor numquam usurpatur. Certe non ab Apuleio.' Oudendorpium autem Hildebrandius p. 184 sequitur. p. 209, 11 haec habes: 'Talis sermonis blanditie cavillatum deducebat ad torum nolentem puerum.' Sed tamen sic nihil proficitur, cum 'et invicem cavillatus' passivo sensu intellegi nequeat. Quare 'cavillatus' hic esse debet id, quod solet, scilicet 'iocatus', et desideratur accusativus, qui pendeat ab 'cavillatus.' Ut sanetur locus corruptus, sic legendum esse puto ea, quae tradita sunt (nam nihil nisi legendo opus est): 'e re satis lepidos sermones Fotidis et invicem cavillatus . . . inquam,' quod Germanice sic vertendum est: die nach Lage der Sache hinreichend witzigen Worte der Fotis nun auch meinerseits scherzhaft behandelnd sprach ich. Verborum coniunctio, quae est 'e re' Apuleio tam familiarem esse quam 'e re nata' videas ex his locis, quibus recte certo emendatum est: 114, 20 et 219, 10, quibus addi potest 192, 23 'e re ⟨concin⟩nata fallacia.' Sic enim illo loco scribendum esse puto cf. 114, 21 'e re concinnato mendacio.' Sed redeamus ad locum, de quo agitur 60, 10; ei, qui 'e res at si' corruptum esse putat ex participio aliquo velut 'recreatus' vel ex alio longiore verbo opponere possum ea, quae infra de enuntiatorum initiis disputabo.

103, 9 sorōrĕm īnsōntē̆m
105, 22 nōstrăm hĭlărābīs
107, 7 puēllăm āppēllā̆nt
116, 1 amīcăm ălĭquā̆m
117, 18 conlŏquĭŭm hōrrēscō̆
118, 14 annōrŭm ōblītā̆ es
123, 25 stŭdĭŭm ādrēxĕrāt
129, 8 īstăm ūrnŭlām
138, 10 rūrsŭm īncĭtāt
151, 15 conspēctŭm ēffūndĭtūr
154, 18 pēstĕm īnstrūxĭt
155, 3 delibūtŭm ōbtūndĕrē̆
156, 30 ignīnŭm īstū̆m
157, 7 ◡ ◡ – ĕtĭăm āngī̆t
158, 30 mitiōrĕm ēffĭcĕrē̆
178, 6 pavōrĕm īncūssī̆t
182, 1 repērtŭm ōbiēcī̆t
183, 27 nūnquăm īnpērtiā̆s
186, 2 tēmplŭm īncēdĕrē̆m
196, 28 damnōsăm ēxērcŭĭ
205, 18 parātăm ādcŭmbĕrē̆
207, 28 nōmĕn ādscīvĕrī̆t
212, 9 disciplīnăm ēxpōnā̆m
215, 22 proiēctŭm īrī̆
217, 19 vicīnŭm ălĭquē̆m
220, 3 caūsăm ēvādĕrē̆t
220, 11 civitātĕm ādvēntā̆t
223, 4 cothūrnŭm āscēndĕrē̆
229, 20 – – cōrăm ēxhĭbĕc̆
232, 6 Fortūnăm ēxpērtū̆s
233, 13 frātrĕm ārgŭĕrē̆
233, 20 latrōnĕm īnquīrī̆
238, 3 matrōnăm ōffēndĭmū̆s
241, 10 sorōrĕm īncūrrĕrē̆t
261, 15 sēnsĭm īnrēpō̆
261, 19 corōnăm ēxhĭbŭī̆t
273, 10 civitātĕm āccēdō̆.

Summa harum clausularum, in quibus, si syllabis in -m terminantibus unius morae auctoritatem attribuimus, numerus legitimus restituitur, est septuaginta duo.

Meo ergo iure contendi vim metricam syllabae -um -em -im et quae eius generis sunt negligi non debere. Neque impedior decem clausulis, in quibus numerus minus bonus efficitur, quominus sententiam illam teneam. Nam — id quod clausulis comprobatur, quas sub II congessi — exstant in Apuleio etiam clausulae, quae non ex rhetorum praeceptis formatae sunt. Iam enumerabo illas decem clausulas:

V) 2, 3 Graecānĭcam īncĭpĭmū̆s
10, 8 – fŭgam īnstrŭī̆t
18, 9 – tŭum ōffēndĕrī̆m
30, 1 sāvĭum īmprēssī̆
36, 1 pūblĭcam īnfēstā̆t
115, 3 pābŭlum īntĕrĭī̆t
119, 11 prōxĭmam īntŭlī̆t
137, 3 novīssĭmum ēxpēctā̆s
140, 6 pērdĭtum ībī̆s
223, 2 privīgnum ădiēcī̆t.

Omnes Apulei metam. clausulas congessi, in quibus m finale antecedere ultimum verbum a vocali incipiens adnotavi, quas si computaveris, centum viginti duas numero habebis; insunt autem metamorphosibus duo milia quadringentae quadraginta tres clausularum. Quare inter centenas clausulas quinae inveniuntur m finali notabiles. Quam m finalis rationem etiam in ceteris scriptis Apulei et in eis in quibus concursiones vocalium evitentur et in quibus admittantur eandem esse hac tabula illustretur exemplorum loco:

scriptum Apulei de quo agitur	summa clausul.	clausulae propter m finale non hiulcae	numeri ad centenas relati
metamorph.	2443	122	5 %
apologia	1319	64	5 %
de deo Socratis	210	9	4,3 %
de Platone	439	16	3,9 %
de mundo	349	9	2,6 %
florida	412	16	3,9 %
[Asclepius]	478	12	2,5 %

Tabula adpicta edocet nos Apuleium omni consilio et studio praetermisso hic illic vocem in -m terminantem posuisse. Sed ad metam. redeamus. Centum viginti duae illae clausulae, in quibus m finale cum vocali verbi extremi concurrit, comparandae sunt cum viginti clausulis vere hiulcis, ut anticipem ea, quae alibi tractabo. Quid sequitur? Et comparatione illa et numerorum ratione comprobatur et evincitur in omnibus Apulei clausulis, in quibus verbum paenultimum in -m exeat et verbum ultimum a vocali incipiat, nullum fieri hiatum. Iam reminiscimur ea, quae grammatici de pronuntiatione m finalis inter vocales positi cum nobis communicaverunt. Unde fluxerit Apulei ratio, opinari possumus. Non secutus est poetarum usum, quos syllabas in -m exeuntes elisisse notum est, sed vivam pronuntiationem Apuleius. Nimirum non dubitarem, quin scholica eruditio et doctrina valuisset ad m finale conservandum nisi ex grammaticorum testimoniis appareret pronuntiationem in sermone vulgari talem fuisse, qualem paulo ante eruimus. Verisimile autem est, cum ambigi possit, num in prosa numeris adstricta versuum ratio an vulgaris pronuntiatio usurpanda sit, in rhetorum schola regulam et normam eam constitutam esse, ut poetarum consuetudine neglecta sermonis modus redderetur.

Sed quomodo factum est, ut versuum ratio plane diversa sit a pronuntiatione vulgari? Igitur paucis expediamus, quomodo poetae in illa re versati sint. In Plauti comoediis[1]) circa ducenti octoginta versus traduntur, in quibus m finale ante vocalem verbi sequentis servatur neque metro deletur syllaba. quorum quidem multi, cum non sint integri, eximendi sunt. Tamen restant tot versus omni suspicione vacantes, ut de m finali ante vocalem non eliso dubitari non possit.

Bis Ennium elisionem m finalis non admisisse ex fragmentis discimus. Priscianus I p. 30 K hunc Enni versum tradit:

'Insignita fere tum milia militum octo.'

1) cf. F. Leo, Plautinische Forschungen c. V; Maurenbrecher, Hiatus und Verschleifung im alten Latein p. 34 sq.

Accedit Festus p. 302:

'dum quidem unus homo Romanus toga superescit.'

Apud Terentium restant ceteris probabili iudicio remotis pro versuum multitudine tam pauci, ut appareat iamdudum rationem Plauto observatam in omittenda sive retinenda m finalis vi interiisse.

Aurea autem litterarum Latinarum aetate et sequentibus temporibus exceptis paucis monosyllabis verbis omnes auctores ubique syllabam in -m cadentem, cui vocalis verbi posterioris subicitur, metro excipiunt, quasi omnino non adsit. Ea, quae ex hac regula eximuntur, collegit et tractavit L. Müller de re metrica² p. 376 sq. Neque Apuleium peculiarem in his rebus normam observantem videmus; quod haec quattuor exempla[1]) comprobant:

93, 9 'sed saevum atque ferum vipereumque malum'
a 15, 3 'serta autem ut laeto tibi tempore tempora vernent.'
a 15, 9 'quod si[2]) animam inspires donaci iam carmina nostra.'
Riese anthol. Lat. 712 v. 2: 'fruantur alii: non moror, non sum invidus.'

Quae cum ita sint, quaestio gravissima oritur, quomodo tale discrimen inter versus et pronuntiationem prosae orationis intercedere possit. Vidimus Apuleium in clausulis ex usu sermonis m finale servavisse, in versibus ex more poetarum elisisse. Nisi fallor, sequitur, ut inde a vetustissimis temporibus poetae una et eadem ratione usi sint sic, ut semper imitatio veterum poetarum valuerit non pronuntiatio. Extremis illis litterarum temporibus poetarum usum ex ipsa vita profluxisse valde verisimile est. Plautus nos edocere videtur, quae m finalis natura in sermone fuerit: fortasse inter vocales tum saepe non pronuntiabatur. Cum autem talis anceps littera poetis intolerabilis esse deberet, mirum esse non potest, quod versuum arte convalescente paulatim una tantum usurpatio fieri potuit. Post Ennium artissime usus cohibitus est neque utroque modo m finali uti auctoribus licet.

Conatus sum demonstrare intercedere differentiam inter poetarum rationem et vulgarem sermonen. Ad hanc rem comprobandam bene apta sunt carmina epigraphica[3]), cum secundum naturam suam multa, quae ad vulgatam pronuntiationem spectent, complectantur liberiore modo. Diehl l. l. pg. 127 congessit octo exempla litterae m ante h extra caesuram non elisae, et. pg. 136 triginta tres versus, in quibus extra caesuram syllaba -m littera terminata ante vocalem servatur, id quod factum esse vidimus in clausulis Apuleianis. Exempla illa huius generis sunt: Buechel. Carm. Lat. Epigr. I 856,8:

1) cf. Bährens frgm. poet. Rom. p. 376 sq. Bährens poetae Lat. min. IV p. 104.
2) sic Hauptius correxit.
3) cf. etiam exempla m finalis non elisae quae ex versibus collegit L. Mueller de re metrica² p. 376 sq.

'cum qua ter denos dulcissimos egerim annos'.

Buecheler ibidem I 562,11:

'nutritor plus quam genitor qui solam amavit'.

Sed longum est plura vel omnia, quae huc pertinent, afferre. Contentus sum commemorare plurima exempla in versuum exitu inveniri aeque atque Ennianum illud 'militum octo'.

Sed ut quaestionem de m finali institutam ad finem perducamus: si ea, quae disputavi, recte habent, satis magna effecisse mihi videor. De aliis rebus potest esse dubitatio, illud autem, quod ad naturam m finalis in clausulis positae attineat, dubitari non potest. Sequitur, ut, quicumque viri docti hucusque de hiatu clausularum egerint, cum arbitrati sint plane eiusdem generis esse concursionem, quae fieret inter duas vocales, atque illam quae inserta m littera gigneretur, erraverint vel, ut omni cautela utar, erravisse valde probabile sit.

Qui enim fieri potest, ut ex rhetoricis scriptoribus qui numeris orationem vinxerint, alter hanc alter illam normam sequatur? Porro constat refutatum esse Lindsay l. l. p. 79 „für das römische Ohr ist wie es scheint eine auf -m endigende Silbe jederzeit gleichwertig gewesen mit einer auf langen Vokal endigenden Silbe im Hiat."

Ut m finale synaloephae vocalium obstat, sic videlicet **n finale**, quod his locis Apulei metamorphoseon comprobatur:

104, 7 Psychen admonet
207, 28 nomen adsciverit
221, 16 numen obtestantis.

Quoniam pluribus verbis, ut fundamentum quaestionis de hiatu iaceretur, de m finali agere necesse fuit, iam **h litteram** paucis absolvam. Notum est[1]) h initialem omnibus litterarum Latinarum temporibus debilem fuisse et tertio post Chr. n. saeculo in sermone vulgari prorsus evanuisse. Apparet haec h litterae natura etiam, ut par est, in Apuleio; in eis enim scriptis, in quibus concursionem vocalium fugit, summa cum cura studuit etiam h litterae antecedente vocali evitandae. In omnibus metam. libris nusquam subiungit Apuleius verbo, quod in vocalem exitum habet, ultimum a littera h incipiens. Nam 17,19 iamdudum recte correctum est in 'comitem habeat', et 193,10 'aes de malo habere' aperta explicatione absolvitur, de qua fusius alibi dicetur; eis autem, quae iam de m finali synaloephae vocalium obstanti disputavi, maxime congruit ratio h litterae antecedente m finali; ergo quoniam clausulas non hiulcas effecit, non dubitavit Apuleius sic scribere:

1) cf. Corssen l. l. I p. 112, Seelmann l. l. p. 256, p. 266; Lindsay l. l. p. 62. Ceterum cf. Birt, Der Hiat bei Plautus und die lat. Aspiration . . ., Marburg 1901.

28, 11 explorassem habitudinem
105, 22 nostram hilarabis
117, 18 conloquium horresco.[1])

In scriptis autem, in quibus nullum hiatus evitandi studium apparet, his locis h litterae vocalis antecedit:

a 12, 5 mitto haec
a 18, 3 impudicitiae habenda
a 25, 18 domi habuisse
a 64, 5 sudario habuisse
a 91, 8 se habebant
f 9, 14 pectore hiscere
f 19, 3 religiose humavit
f 26, 15 torpore hebetatur
f 33, 5 vivere hominem
f 36, 11 morbo haberi.

Quibus rebus expositis iam ad ipsam clausularum compositionem accedamus. In duas autem res animum intendam. Agam de hiatu, qui fit inter verbum ultimum et paenultimum, praeterea de extremo verbo monosyllabo.

Sed ut in quaestione gravissima altius repetendum est. Nemo eorum, qui **clausularum hiatum** observaverunt, rhetorum praecepta diligenter perquisivit, ex quibus compositio auctorum comprobari posset. Tantum Bornecque 'Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici ac rhetores Latini' p. 18 paucis perversis verbis rem tetigit, sed, ut ipse confitetur, nihil effecit. Auctores Graecos insuper omnino neglexit. Attamen saepe etiam silentium ipsum nos docere aliquid potest.

Primum ergo quaerendum est, apud **rhetores Graecos** num omnino exstet doctrina hiulcarum clausularum vel qualis illa sit. Aristoteles in rhetorices libro tertio primus accurate exposuit, quibus rhythmis utendum sit in prosa oratione; concursionis vocalium autem nullam mentionem facit. Omnia quidem opera Theophrasti aliorumque, quae de arte rhetorica erant, perierunt; sed nos multum detrimenti inde cepisse non verisimile est, nam Dionysius Halicarnassensis in praefatione libri de compositione verborum p. 14 Sch. haec memorat: 'οὐδενὶ δ' ἀκριβῶς οὐδ' ἀποχρώντως μέχρι τοῦ παρόντος ἐξειργασμένην' (sc. τὴν τῆς ὀνομάτων συνθέσεως πραγματείαν) cf. etiam ibid. p. 22 et 70.

Sed caremus, quod ad illa tempora attinet, non solum integris rhetorum operibus, sed etiam in eis, quae posteriores servaverunt, hiatus nulla fit mentio excepto uno Plutarchi loco; is in libro cui inscribitur περὶ Στωικῶν ἐναντιωμάτων 1047 B his verbis in

1) ex Luetiohanni coniectura.

Chrysippum invehit: 'ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ περὶ τῆς τῶν φωνηέντων συγκρούσεως ὑπειπών 'οὐ μόνον' φησί 'ταῦτα παρετέον τοῦ βελτίονος ἐχομένους, ἀλλὰ καὶ ποιὰς ἀσαφείας καὶ ἐλλείψεις καὶ νὴ Δία σολοικισμούς, ἐφ' οἷς ἄλλοι ἂν αἰσχυνθείησαν οὐκ ὀλίγοι.' τὸ δὴ ποτὲ μὲν ἄχρι χειρῶν καὶ στόματος εὐπρεπείας ἐπιχωρεῖν τοῖς λέγουσιν ἐν κόσμῳ τὸν λόγον διατίθεσθαι· ποτὲ δὲ μήτ' ἐλλείψεων ἐπιστρέφεσθαι καὶ ἀσαφειῶν μήτε σολοικίζοντας αἰσχύνεσθαι τελέως ὅτι ἂν ἐπίῃ λέγοντός ἐστιν.' Apparet Plutarchum valde improbare Stoicorum doctrinam: attamen non cum Isocrate, cui hiatus evitatio inter summas compositionis leges fuit, Chaeronensem stetisse, non magis ex ipsius scribendi ratione[1]) comprobatur quam his salsis de Isocrate verbis in libro de gloria Atheniensium p. 350 E: 'πῶς οὖν οὐκ ἔμελλεν ἄνθρωπος ψόφον ὅπλων φοβεῖσθαι καὶ σύρρηγμα φάλαγγος ὁ φοβούμενος φωνῆεν φωνήεντι συγκροῦσαι.'

Tertium Plutarchi de hiatu testimonium invenimus Mor. p. 534 E sub finem: 'ἐνίους γοῦν ὁρῶμεν οὐδὲ φωνήεντι συγκροῦσαι φωνῆεν ἐν τῷ λέγειν ὑπομένοντας.'

Iamvero temporum ordine mutato Plutarcho scriptorem libelli de elocutione, cuius auctor Demetrius appellatur, adiungemus. Demetrius quattuor genera elocutionis esse statuit (cf. § 36): ἰσχνόν, quod latine dicitur tenue, μεγαλοπρεπές, grande vel sublime, quod genus variis nominibus etiam appellatur ἁδρόν, ὑψηλόν, σεμνόν, περιττόν κ. τ. λ.; tertium accedit γλαφυρόν vulgo τὸ μέσον, medium, dictum; his tribus quartum adiungit δεινόν. De concursionibus vocalium evitandis agit Demetrius § 68 sq. et § 207 et § 299. In praeceptis autem medium tenet locum et simillimus est Ciceroni et Quintiliano, cum praecipiat concursiones vocalium evitandas quidem neque solam iuncturam vocalium observandam esse; aptam autem esse mediocre studium evitandi grandi illi generi (§ 68) et tenui (§ 207)[2]), non quarto illi ab Demetrio constituto, nam § 299 sic dicit: 'ἡ δὲ λειότης ἡ περὶ τὴν σύνθεσιν, οἵᾳ κέχρηνται μάλιστα οἱ ἀπ' Ἰσοκράτους φυλαξάμενοι τὴν σύγκρουσιν τῶν φωνηέντων γραμμάτων, οὐ μάλα ἐπιτηδεία ἐστὶ τῷ δεινῷ λόγῳ.' Haec sunt quae Demetrius praecipit de verborum hiatu. Doctrina Dionysi autem non ita multum distat ab Demetrio, ceterum est amplior; Dionysius tripartitam speciem elocutionis agnoscit (cf. p. 290): αὐστηράν, quam Demetrius μεγαλοπρεπῆ appellare id est grandem solet; γλαφυρὰν ἢ ἀνθηράν, quam Demetrius ἰσχνήν id est tenuem dicit; κοινήν autem intellegit μέσην, mediam. Tenuis autem generis proprium esse studium hiatus evitandi dicit in libro de admiranda vi dicendi in Demosthene

1) cf. Caroli Sintenis de hiatu in Plutarchi vitis parallelis epistolam ad Hermannum Sauppium, quae inest in illius editionis Plutarcheae vol. IV.

2) nonne hic inserendum est: 'πάντα μὲν τὰ νέα ⟨καὶ⟩ καλά ἐστιν'? repetit enim iisdem verbis exemplum ante § 70 fictum.

p. 1076 ed. Reisk.: ʽπολλὴν cφόδρα ποιουμένη φροντίδα τοῦ cυνέξεcθαι καὶ cυνειλῆφθαι καὶ προcπετεῖc ἁπάντων αὐτῶν εἶναι τὰc ἁρμονίαc. καὶ διὰ τοῦτο φεύγειν (scilicet τὴν γλαφυρὰν cύνθεcιν) μὲν ἁπάcῃ cπουδῇ τὰc τῶν φωνηέντων cυμβολὰc ὡc τὴν λειότητα καὶ τὴν εὐέπειαν διαcπώcαc.ʼ Qua de causa laudat Dionysius auctores summa cum cura concursum vocalium fugientes imprimis Isocratem, quem floridum genus dicendi omnium quotquot soluta oratione utantur praestantissime effecisse putat. Isocratem memorat his locis: primum in libro de admiranda vi dicendi in Demosthene p. 963 R, deinde in libro, cui inscribitur de priscis scriptoribus censura p. 433 R et de Isocrate iudicium p. 538 R, tum in libro de compositione verborum p. 366 Sch. Sapphus versus laude effert de comp. verb. p. 356 Sch., quod vocalium inter se concursus, qui sonos perturbent, rarissimi carmini insint. Theopompum contra reprehendit de veter. script. censura p. 429 R, quia nimis artificiosus in fugiendis concursibus fuerit; nam dubium esse non potest, quin hic sensus in corruptis Dionysi verbis lateat, quod comprobatur Ciceronis orat. § 151 et Quintiliani IX 4, 35.[1])

Cognoscimus Theopompum praeter modum hiulcam compositionem fugientem reprehendi; at in una Demosthenis Philippica oratione perrara hiatus exempla offendunt Dionysium cf. de admir. vi dicendi in Dem. p. 1090 R: ʽὀλίγα δʼ ἔcτιν παντάπαcιν ἃ διίcτηcι τὰc ἁρμονίαc καὶ τραχείαc φαίνεcθαι ποιεῖ αὐτάc. ἐν μὲν τῇ πρώτῃ περιόδῳ κατὰ δύο τρόπουc τὰ φωνήεντα cυγκρουόμενα, ἔν τε τῷ ʽʼΩ ἄνδρεc ʼΑθηναῖοιʼ καὶ ἐν τῷ ʽεὐτυχοῦντα ὁρῶνʼ ἃ καὶ διίcτηcι τὸ cυναφέc.ʼ

Supra dictum est Demetrium illum praecepisse, ne in grandi genere dicendi vocales committerentur, sed Dionysius hic ibidem admittit conflictus vocalium quod colligi potest ex ipsius verbis cf. de admir. vi dicendi in Dem. p. 1069 R, ubi compositioni αὐcτηρᾷ id est grandi proprium esse hoc dicit: ʽτοῦτο τὸ cχῆμα τῆc ἁρμονίαc (sc. τῆc αὐcτηρᾶc) ποιοῦcιν αἱ τῶν φωνηέντων γραμμάτων παραθέcειc ὅταν ἥ τε προηγουμένη λέξιc εἰc ἓν τούτων λήγῃ καὶ ἡ cυνάπτουcα ταύτῃ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τούτων τινὸc λαμβάνῃ.ʼ Huic autem doctrinae bene congruit laus illa qua perstringit antiquam Thucydidis pulchritudinem (cf. de comp. verb. p. 326 Sch.). Thucydides enim grandis (αὐcτηρᾶc) elocutionis speciem prae se fert (cf. ibidem p. 328 Sch.) Quare apud Thucydidem concursiones non offendunt (cf. ibidem p. 330, 332, 334 Sch.)

Spero me omnes locos, quibus hiatus vocalium tractetur apud rhetores Graecos, collegisse; frustra perquisivi rhetorum volumina ab Walzio edita; perraro hic hiatus mentio fit sic, ut appareat ad quaestionem propositam nullius omnino momenti esse.

1) cf. Dionysius de imitatione ed. Usener p. 25.

Iamvero quid lucrati sumus eis, quae disputata sunt de rhetorum Graecorum doctrina? Cognoscimus praecipi fugiendum esse hiatum; attamen nulla orationis pars eximitur; non exstat ulla de clausulis peculiaris doctrina; quod imprimis Dionysio ipso comprobari videtur; dicit enim ille in libro de comp. verb. p. 340 Sch.: ʽκαὶ τῶν περιόδων τὰc τελευτὰc εὐρύθμουc εἶναι βούλεται (sc. ἡ ἀνθηρὰ cύνθεcιc) καὶ βεβηκυίαc ὡc ἀπὸ cτάθμηc.ʼ Periodorum fines numerosi et quasi ad amussim incedere debent. Videmus Dionysium praecipere numeros esse observandos in clausulis; hiatum autem silentio omnino praeterit, quod certe fieri hic non potuisset, si exstitisset ulla doctrina. Postremo si summam subducimus, contendere possumus apud rhetores Graecos praeceptum illud de concursionibus vocalium in clausulis evitandis non inveniri. Quacum ratione dicendi genus scriptorum Graecorum, ex quorum numero fortasse auctores nonnulli post annum centesimum p. Chr. n. vigentes eximi debent, congruens esse equidem persuasum habeo.

Quoniam igitur Graecos **auctores** perlustravimus, iam ad **Latinos** accedamus. Confiteor me frustra Ciceronis et Quintiliani opera perlegisse. Bornecque quidem ʽquid praeceperint . . .ʼ p. 18 videtur putare — nam non magis inaccuratus hic quam obscurus est — Quintilianum praecepisse in clausulis cυναλοιφάc admitti posse. Sed quid tandem sibi velit ille, equidem intellegere non possum. Primum enim Quintilianus IX, 4 109 non exemplum affert ʽbene praesidium estʼ, sed ʽleve praesidium estʼ, deinde quomodo haec cum eis quae antecedunt cohaerent in Bornecqi verbis? Tum Quintilianus docet synaloepham orationem ʽleniorem', non ʽleviorem' facere. Postremum non perspicio haec verba: ʽaddit (sc. Quintilianus) in clausulis se non negare quidquid sententiis aut elocutioni non nocebit.ʼ Qualis haec Quintiliani ratio? Eum in disputando sequitur ordinem Quintilianus, ut agat de iunctura verborum (IX 4 §§ 32—43), membrorum incisorumque (§ 44), tum de numerorum universa natura (§§ 45—60); his autem praemissis exponit, ubinam maxime appareant numeri: in clausulis (§ 61) in initiis (§ 63) in mediis (§ 66). In aperto et promptu ergo est Quintilianum paragrapho sexagesima prima demum clausulas tetigisse; verba, quae facit § 59, ad clausulas referre non licet. Sed mittamus Bornecque eiusque levitatem. Ex Quintiliano nihil effici potest, quamquam in exemplis, quae maxima ex parte ex Ciceronis orationibus prompsit, nusquam in clausulis duae vocales committuntur cf. IX 3, 45, 46 et magnum clausularum numerum IX 4, 63—111. Paulo proficimus Diomedis grammatici praeceptis cf. p. 466 K. Is enim, postquam disseruit compositionem verborum sine hiatu esse debere, ad hanc doctrinam illustrandam solum utitur concursionibus vocalium talibus, quales fiunt in clausulis velut ʽaere emitʼ, ʽilli incumbitʼ, ʽfore omniaʼ. In hoc vitium autem non incidere eum, qui scribat ʽaere mercaturʼ ʽilli totus incumbitʼ ʽfore ceteraʼ. His praeceptis multis exemplis patefacere studet,

quibus numeris in clausulis utendum sit. Illud vero mirum accidit nusquam in his clausulis ullam hiulcam admissam esse praeter unam Ciceronis (cf. p. 471): 'sanguine inbuta est'. Affert autem clausulam, ut demonstret nimiam curam 'odio dignam' esse. Diomedes ergo novisse videtur doctrinam illam de concursionibus in clausulis evitandis; tantum autem rem perstringit. Similiter inter [Probi] clausularum exempla (cf. Keil p. 42—43) nulla invenitur hiulca. Iamvero tria praestantissima rhetorum, qui dicuntur minores, praecepta afferam, quorum unum omni suspicione vacat. Fortunatianus p. 127 in Halmi editione rhetor. Lat. minor. haec praecipit: 'Quae in structura observanda sunt? . . . ne hiulca sit vocalium et maxime longarum crebra concursione.' Verisimile est haec verba ad clausulas referenda esse, sed, ut omni cautela utar, concedo hic non tam clausulas quam totius enuntiati formationem intellegi posse.[1]) Cum Fortunatiano plane concinit Julius Victor p. 432 H.: 'sequitur continuatio verborum ne sit hiulca vocalium et maxime longarum crebra concursione, quamquam Tullius dixit' . . . e. q. s. Dubitari autem non potest de tertio Martiani Capellae loco, quem scriptum videmus p. 475 H.: 'Hiulcae sunt, cum in ea parte quam diximus similes vocales ac similiter longae conlisam hiantemque structuram faciunt, ut si quis dicat 'suscepisse se liberos secundo omino' et ut Tullius pro Milone ait 'auctoritate publica armare.'' Pars enuntiati quam dicit Martianus est, ut ipsius verbis utar, 'inter paenultimum ultimumque verbum.'

Apparet igitur inveniri etiam rhetores Latinos, qui praecipiant hiulcam clausularum compositionem fugiendam esse ut 'barbaram'. Id autem nemo mirari potest, quod non omnes tam certam doctrinam nobis subministraverunt quam Martianus Capella. Quod mihi maxima ex parte ad Ciceronis ubique valentem auctoritatem referendum esse videtur, qui cum in libris rhetoricis artificiosam illam clausularum compositionem non tetigit, quia non potuit, tum in orationibus ipsis ab omnibus posterioribus rhetoribus et grammaticis, ut doctrinam exemplis comprobarent, usurpatis minutiosam talem elocutionem aspernatus est. Bene nimirum grammatici ac rhetores recoquebant ea, quae ab aliis petiverant, de suo autem nihil fere adiciebant.

Collegi et recensui omnia, quae auctores Latini de clausularum hiatu, quod sciam, praecipiunt. Iamvero quid ex rhetoribus Graecis et Latinis assumpta Apulei compositione concludere possumus de clausularum doctrina? Constat a Graecis non profectum esse praeceptum illud hiatus evitandi neque apud Ciceronem aut Quintilianum ullum vestigium apparere; Apuleium autem dedita opera et mirabili studio concursiones vocalium in clausulis fugisse in eis, quae secuntur, comprobabo. Rationem clausularum Apuleianarum propositam videmus apud nonnullos rhetores posteriores. Orta ergo esse videtur

1) cf. Fortun. p. 127.

doctrina illa inter Quintiliani et Apulei tempora in scholis rhetorum Latinorum. Sed incredibile est tantum praeceptum illud, quod ad vocalium concursus pertineat, seiunctis aliis quae artissime cum illo cohaereant a quodam rhetore vigente saeculo secundo p. Chr. n. ineunte excogitatum esse. Et revera invenimus non solum Apuleium hiatum in clausulis non admisisse, sed etiam observasse numerum illum legitimum creticum et ambitum verborum in clausulis diligenter respexisse. Gatscha in dissertatione supra allata agit de Apulei sermone numeris adstricto et evincit in Apulei metam. libris inter centenas clausulas esse sexagenas binas fere creticas.[1]) De ambitu verborum autem equidem paulo post agam. Quae cum ita sint, Meyeri verba, quae facit l. l. p. 25, „Im 2. Jahrhundert nach Christus wird für alle Deklamationspausen der gesprochenen Rede ein bestimmter Tonfall ersonnen“, sic emendanda esse videntur, ut statuamus iam inter Quintiliani et Apulei tempora circa annum fere centesimum vicesimum quintum commentum illud factum esse.

Haec habui de rhetorum doctrina quae dicerem; proximum est, ut videamus quas et quales vocalium concursiones Apuleius in clausulis admiserit. Primum ergo de metam. libris agam. Sed ne quis in errorem incidat, indico me solum clausulas plenum sensum terminantes tractare, ubi nos quidem graviter distinguere solemus, quamquam non ignoro etiam in colorum, quae dicuntur, clausulis similem vel eandem compositionem valuisse, et confiteor, quod sciam, Apuleium etiam colorum terminos eadem cum arte struxisse, qua sententiarum clausulas. Sed mihi, cum plerumque ambigi praecipue in periodis rhetorice formatis non possit, tamen haud ita facilis ad diiudicandum visa est quaestio, quae instituenda est de natura coli. Testimonia enim grammaticorum tam incerta quam vilia sunt; apparet autem quaestionem de pausis orationis omnino seiungi non posse ab ea, quae est de distinctione, praesertim cum verisimile sit veteres Romanos rhetoricam distinguendi rationem secutos esse; qua de re inspicias Ciceronem de or. III § 173, or. § 228; in grammaticorum Latinorum voluminibus a Keilio editis hae commentatiunculae de distinctione vel de posituris inveniuntur: Donati IV 372, Servi IV 484, [Sergi] IV 533, Sergi IV 484, Cledoni V 34, Pompei V 133; his locis addendi sunt liber primus et secundus Isidori minus aetate quam fontibus, ex quibus hausit ille, insignes. In summam apparet grammaticos triplicem illam Alexandrinorum positurarum rationem docuisse; agnoscunt enim primum 'distinctionem' (τελεία), deinde 'mediam' (μέση), tum 'subdistinctionem' (ὑποστιγμή); praecipiunt etiam, ubinam illis posituris utendum sit. Sed quid est 'medius sensus', de quo agunt? Quid colon vel comma ex eorum doctrina? Nam cola et commata idem esse contendunt velut Pompeius V 133

1) augetur autem hic numerus eis in censum vocatis, quae de m finali disputavi.

et Sergius IV 484. Accedit, quod in inscriptionibus ullius distinctionis vestigium[1]) non apparet, cum puncta eo tantum consilio insculpta sint, ut singula verba secernantur. Quibus de causis quaestionem de colorum clausulis seponam, praesertim cum satis multae clausulae restent. Omitto ergo enuntiatorum membra, quae nos 'commate' distinguere solemus. Plurimis autem locis a Vlieti aliorumque distinctione sic descivi, ut gravius distinguerem 'commate' in 'colon' quod nos dicimus permutato. Ea quae restant omnia in censum vocanda curavi; neque, quod Havet (cf. p. 23) fecit, neglexi minutissima illa enuntiata, quae propter brevitatem nullis numeris vincti sunt velut 5, 2 'quae facies? quod flagitium?'; 20, 7 'sed quid istud? voti gaudeo'; 20, 19 'in angulo sedebat'; 21, 21 'quid uxor? quid liberi? quid vernaculi? narro singula' et quae eius generis sunt. Unum est, quod praeterea praemoneam: solum respexi verbum ultimum et paenultimum; vix enim fieri potest, ut tribus verbis clausulae comprehendantur imprimis Apuleianae, in quibus verbum extremum longum esse solet. Quoniam saepius vidi viros doctos clausularum fines nimis extendentes commemorare volo Ciceronis verba in or. § 216: 'sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo, quod minimum sit, proximum superiorem, saepe etiam tertium.'[2]) Apparet ergo legitimum vel solitum fuisse duobus pedibus clausulam comprehendere neque pluribus quam tribus.

Haec de universa disputationis ratione et indole praefatus iam, ut par est, **plures metam. hiulcas clausulas examinabo vel interpretabor,** ut seiungantur eae, quae corruptelis deformatae sint. Neque solum emendatione sed etiam interpretatione duobus locis uti debemus, cum verba tradita sana esse videantur.

4, 4 'porro exordiar'. Confiteor me non intellegere, quid hic sibi velit illud 'porro'. Lucius ab Aristomene petit, ut fabulam comiti molestam denuo sibi narret (cf. 30, 30 'fabulam remetire'); 'porro exordiar' ergo hic nihil valere potest nisi 'iterum'; talis autem vocis usus ab Apuleio prorsus alienus est; ubique excepto uno loco 'porro', ut solet, in conexa serie rerum vel argumentorum usurpatur cf. 57, 4; 258, 4; a 59, 26; a 89, 25; f 12, 11; f 19, 16; s 12, 25; s 13, 30; s 15, 26. Uno tantum loco peculiariter dictum est 186, 17 'porro Quirites' quod nos vertimus 'vorwärts, Quiriten!' Redeunt autem haec verba in Laberium com. 125. Puto ergo 4, 4 'porro' corruptum esse ex 'rursus'; numerus autem quo adstrictum est illud 'rursus exordiar' optimus et legitimus est: – ◡ – – ◡ –.

103, 13 sunt, qui post verbum 'eminus' graviter distinguant, quod falsum esse recte Vlietus ex apologiae loco a 4, 18 sq. colligit;

1) Huebner in praefatione libri cui inscribitur exempla scripturae epigraphicae Latinae pauca exempla distinctionis conquisivit.

2) Eadem de re agunt Cicero de or. III § 193; Probi catholica IV, 40 = Mari Ploti ars IV 492 sq.

apertum est 'velitatur eminus' et 'comminus congredietur' inter se opponi. 'Fortuna eminus' est coli finis, quae extra meam quaestionem esse iam dixi. Luce clarius autem est Georgium eosque, quos sequatur, erravisse ratos 'periculum velitatur' idem esse atque 'comminari'; ex Apulei vulgari usu ubique velitari — nam hac tantum forma usus est non activa quae dicitur — valet idem ac 'pugnare'; his enim locis praeter illos duos 103, 13 et a 4, 18 invenitur:

110, 9 veneris proeliis velitatus; 154, 7 ille . . . postremis velitatur calcibus; 183, 2 qui scurrilibus iam dudum contra me velitaris iocis; 188, 22 crebris calcibus velitatus; 199, 23 cum qua ientaculo . . . velitata; 210, 8 armis . . . velitatur; 216, 29 lapidibus . . . in eum velitantur.' Alterum est quod discere possumus. Verbum 'velitari' quod a Plauto[1]) mutuatus esse videtur, usurpat praeter illum apologiae locum, qui artissime cum metam. cohaeret, octies in metam., in ceteris scriptis nusquam invenitur; 'velitari' ergo est verbum metam. elocutioni familiarissimum. Quid inde sequitur? Puto id concludendum esse Apuleium illo apologiae loco vocabulum remotissimum et cum dictione Ciceroniana minime congruens non usurpavisse nisi certo consilio imitandi; ante oculos versabatur metam. elocutio; comprobatur autem sententia mea ex dictionis similitudine demonstrari posse Apuleium metam. libros composuisse ante apologiam.

Certo operae pretium est huius rei exempla congerere, ut tandem aliquando explanetur, quae temporis ratio intercedat inter singula Apulei scripta. Sed sufficiat unum locum tractare. s 8, 19 memoratur homines esse 'pervicaci audacia, pertinaci spe.' Quis est, quin cogitet Apuleium hic respicere locum illum de vitiis nequissimae feminae 198, 29: 'saeva scaeva, virosa ebriosa, pervicax pertinax'? His adiungendum esse videtur s 3, 21 in prologo, qui dicitur: 'ales oculis perspicax, unguibus pertinax.' Videtur Apuleius in memoria tenuisse speciosum illud 'pervicax et pertinax' sed, cum pervicax hic ineptissime dictum esset de alite, eius loco alterum simile adverbium posuit. Persuasum autem habeo Apuleium coniunctionem quae est 'pervicax et pertinax' ab Accio mutuatum esse. Hos dico Achillis versus:

'Tu pertinaciam esse Antiloche hanc praedicas
ego pervicaciam aio et ea me uti volo;
haec fortis sequitur, illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.
Nam pervicacem dici me esse et vincere
Perfacile patior, pertinacem nil moror.'

Accedit alterum Enni testimonium, quod affert Fronto ep. IV, 2 p. 60 Nab. 'ut Quintus noster ait: pervince pertinaci pervicacia.'

1) cf. Plaut. Men. 778: nescio quid vos velitati estis inter vos duos.

Verisimillimum ergo esse videtur non solum Frontonem, sed etiam Apuleium a cascis musis suam dictionem repetiisse.

115, 20 'indicat (sc. gavia) omnem Veneris familiam male audire.' 'male audire' idem est atque 'infamen esse'. Notum est apud Romanos saepissime verba genuino accentu privata esse in cursu pronuntiationis.[1]) Grammatici et inscriptiones hanc rem comprobant. Plurima exempla Corssenus affert, quae enumerare longum est. Mihi vero sufficere haec videntur, quae apta sunt ad sententiam confirmandam: 'benemerenti, benefacta, malefacta, maledicens, malesanus, malefida, benedicere, maledicere.' Non ergo dubitandum est, quin 'male audire' sub uno accentu prolatum sit. Sed longius procedere possumus. Nusquam admisit Apuleius hiatum in clausulis, qui accentus ratione excusari possit. Docet ergo concursio vocalium verba quae sunt 'male audire' non solum unum accentum acutum habuisse, sed etiam sic in unum corpus coaluisse, ut non de duobus verbis, sed de uno longiore cogitandum sit. Quod comprobatur usu vocis 'male audire', quam his locis scriptam videmus: a 6, 9 'cum male audiunt'; a 6, 11 'male audire'; a 6, 14 'imperitas auris ad male audiendum habens.' Apparet non posse dirimi compositum verbum 'male audire' ulla inserta voce. Quae si recte disputata sunt, melius erit etiam uno tenore scribere 'malaudire'[2]), praesertim cum cognoverimus Romanos iam Quintiliani temporibus omissa e vocali dixisse non 'calefacere' sed 'calfacere' cf. Quintilian I 6, 21. Mirum autem accidit illud, quod 'malaudire' in linguis romanicis non comparet.

169, 25 'toro adquiescas' ex usu poetarum bene Apuleius dicere potuit, sic enim Catullus XXXI 10 'desiderato acquiescere lecto' Tibullus I 1, 43 'requiescere lecto.' Sed symmetria dictionis Apuleianae non neglegenda[3]) est: Finem enim periodi, cuius structura rhetorica in aperto proposita est, componit ex tribus commatibus, quorum unum quodque ternis verbis constat particula nomine verbo: 'neve sermonem conferas nec mensam accumbas nec toro adquiescas.' Nemo negare potest formam 'toro' Apulei artem corrumpere, et magnopere desideratur 'torum', quod respondet prioribus 'sermonem' et 'mensam'. Nusquam apud auctores Romanos[4]) aut apud Apuleium ipsum certe haec dictio exemplis comprobari potest, neque hoc fieri debet; nam rationes peculiares et res ipsa peculiare

1) cf. Corssen II 833 sq; Lindsay p. 210.
2) Leo admonet in Senecae de beneficiis libri V 7, 4 codices optimos habere 'malaudit.'
3) cf. de hac sermonis figura quae disputavit Leo Anal. Plaut. II p. 28 sq. Tractavit etiam p. 29 et 30 duos Apulei locos.
4) Thesaurus l. L. hos tres locos ab extremo aevo repetitos affert: Jord. Get. 26, 134 'quid non auri sacri fames compellit adquiescere?' Greg. Tur. glor. conf. 77 'nec acquiesceret pontifex rem tam improbam': Idem Franc. 5, 15.

dicendi genus efficiunt simulque explicant.[1]) Apuleium autem ex analogia optime constituere posse 'torum adquiescas' facile demonstrabo. Draegerus[2]) I p. 377 dicit aureae aetatis scriptores Romanos verba composita cum praepositione quae est 'ad' cum accusativo non coniunxisse praeter quattuor fere: 'accolere, adire, adoriri, aggredi'; posterius autem ambitum horum verborum ampliatum esse; Apuleio autem usus ille familiaris est, scribit enim velut 18, 18 assidebat pedes, 120, 1 Psyche pedes eius advoluta, 48, 14 tribunal adstituor[3]), 73, 17 mensas . . . accumbunt, 98, 23 lectum . . . accubans, 97, 4 instrumentum cenatorium . . . accumbit, 98, 10 scopulum . . . aderunt, 30, 17 cubiculum tuum adero[4]); sed quid ego longinqua et aliena commemoro. Ipse Apulei locus, quem tractamus, omnium aptissimus est ad comprobandum meum 'torum adquiescas'. Antecedit enim 'mensam accumbas'. 'Torum acquiescere' sic intellegendum est, ut motionis quaedam intentio voci adquiescere simul insit; dicere vult Apuleius: nec torum eius adeas quietura, quod propter colorum conformationem comprehendit in 'torum adquiescas'. Artificiosissime ergo dictum est. Clausula autem bona efficitur; nam ex eis, quae de m finali disserui, apparet 'm' litteram obstare concursioni vocalium; quod ad numerum attinet, nihil emendatione mea commutatur; ādquĭēscās est clausula dichorea, quam dicunt rhetores, pervulgata.

179, 15 'comparere illum' traditur in codice, sed manifesta esse videtur loci corruptela. Vix enim dici potest 'nec ullum senem comparere illum', id quod iam veteres interpretes offendit; Oudendorpius p. 563 putat aut in fine esse omittendum vocabulum 'illum', aut priore loco scribendum pro 'ullum' 'illum' omisso extremo verbo 'illum'. Oudendorpio contradicit Hildebrandius p. 710, cui tantum in parte adstipulari possum. Admonet 'nec ullum senem comparere' idem esse ac 'neque senem comparere', quod mihi recte fecisse videtur, cum 'nec ullum comparere' ex usu vestusto dici possit pro 'nullum comparere'. Duos affert locos 155, 2 et 211, 9 Hildebrandius comprobaturus 'nullum' valere saepe 'non'. certe de hoc vulgari usu dubitari non potest, duobus illis locis plures etiam addi possunt velut 178, 3 an nulli scitis, 176, 10 lupi . . . nulli contra nos aditum tulerant. Sed agnoscere non possum recte habere verba quae sunt 'nec ullum senem illum'; exemplis talis compositio aures ob-

1) cf. etiam emendationem meam sub finem factam.
2) cf. Draeger Historische Syntax der lat. Sprache; omisit autem scaenicos veteres. Plautus verbi causa coniungit 'scortum accumbere' cf. Bacch. 1189, Men. 475, quem Apuleium secutum esse verisimile est.
3) 'adstitui molae' est Plautinum; in aperto est Apuleium eo accusativum posuisse, quod concursum vocalium evitare voluit.
4) Singulariter haec dicta sunt, sed 30, 17 'cubiculum tuum adero' est clausula, et si scripsisset ex vulgari usu 'in cubiculo tuo adero' deterrimam compositionem effecisset.

tundens probanda est, qualem Apuleium admisisse non puto. Igitur deleamus vocabulum 'illum' sub finem enuntiati positum; clausula 'cōmpārērē' quidem dispondiaca est, sed esse eius generis in Apuleio Gatscha l. l. p. 169 statuit. Denique addere volo Leonem in Woelfflini archi vol. XII p. 96 demonstravisse, quam immerito omnes editores optimam codicis memoriam 'miserinum' respuerint.

193, 10 'nisi nos putas aes de malo habere'. Duplici ratione his verbis explanandis viri docti operam navaverunt (cf. Oudend. p. 604). Hi putant 'de malo' esse idem quod aliquo dolo malo, ἀπὸ κακοῦ, illi proverbium agnoscunt. Quantum haec explicatio illi antecedat, per se satis manifestum est. Etiam nos utimur illo proverbio „das Geld von den Bäumen schütteln.“ Evincitur autem et affirmatur explanatio illa a proverbi natura repetita concursione vocalium; admittit Apuleius hic hiatum, quia non suis, sed alienis verbis utitur. Per neglegentiam ergo Koziolus[1]) p. 248—249 et Otto, Sprichwörter der Römer hunc Apulei locum non tetigerunt.

196, 27 codex F traditit 'cibatu iri', quod φ in 'cibatum iri' mutavit. Infinitivi Futuri Passivi[2]) forma in -u iri raro invenitur. Vestigia huius infinitivi formae quae sola sic orta esse videtur, ut m littera pronuntiatione parum expressa omitteretur, ultimis his temporibus eruta sunt; exempla pauca promulgata sunt in Woelfflini archi vol. II 349, VIII 338, IX 492. In Apuleio antecedit alter infinitivus in -um iri 'leviorem laborem legatum iri', quod artificiose per allitterationem (ab Vlietio nimirum non intellectam) dictum est. Quibus de causis mihi scribendum videtur 'cibatum iri'; proficiscens ex eis, quae de m finali disserui, nemo arbitrari potest nullum discrimen intercedere inter 'cibatum iri' et 'cibatu iri'. -um iri autem invenitur velut 89, 10 taxatum iri, 134, 20 conventum iri, 215, 22 proiectum iri, 226, 18 damnatum iri.

Iamvero his septem clausulis emendatione vel explanatione seiunctis tandem aliquando enarrabo **enuntiatorum fines** — nam clausulas nominare non licet — **vere hiulcos:**

5, 22	operose effrico	Primi libri
6, 14	suo adplicat	
12, 13	stabuli absolve	
12, 13	volo ire	
13, 27	somno excussit	
14, 23	somniare autumant	
14, 26	atque impiatum	
16, 16	mendacio absurdius	
16, 26	taedio evasi	

1) Koziol, der Stil des Apuleius, Wien 1872.
2) cf. Neue-Wagener, Lat. Formenlehre III p. 177.

18, 13[1])	me opperimino	Primi libri
21, 15	trahere adoritur	
32, 22	vespera oriente	

87, 13	viva exurare	Reliquorum librorum
108, 27	denique altera	
130, 21	mihi ausculta	
146, 16	carpo ordinem	
150, 31	puellae ipsius	
177, 5	atque obteritis	
192, 5	sermone accipit	
198, 5	macie exasperati	
204, 1[2])	perfacile indipisci	
228, 4	adserere incipit.	

Insunt ergo in omnibus metam. libris viginti duae clausulae hiulcae, inter singula milia tantum novenae; ex inopinato autem accidit, quod ex viginti duabus illis clausulis, in quibus vocales sibi occurrunt, undecim primi libri, undecim tantum omnium ceterorum librorum sunt. Igitur inter centenas clausulas, quae efficiuntur excepto primo libro, 0,5% hiulcae sunt. Mirum autem illud discrimen confirmabitur quaestione, quae exerceri debet de universis Apulei concursionibus vocalium. Hic autem quo modo explicanda sit haec res, in dubio relinquo; sufficit mihi statuisse esse discrimen. Iamvero ut parvum illum numerum clausularum satis aestimemus, necesse est meminisse, qua ratione quaestionem instituerim. Omnia enim enuntiata respexi etiam ea, quae propter brevitatem rhetorice formatae esse non possunt; apparet autem in talibus sensiculis vocalium concursionem maxima ex parte admissam velut 5, 22 'sordium enormem eluviem operose effrico', 12, 13 'stabuli absolve', 12, 13 'antelucio volo ire', 16, 16 'nihil isto mendacio absurdius', 32, 22 'commodum vespera oriente', 108, 27 'sic denique altera', 130, 21 'mihi ausculta', 146, 16 'sed rei noscendae carpo ordinem'. Haec exempla et plura alia tantum incisa sunt, periodus autem minime efficitur neque ea de causa hos enuntiatorum fines clausulas nominare licet; periodum omni rhetoris arte elaboratam tantum unam in clausulis illis supra allatis invenio 198, 5; media et ambigua sunt enuntiata 14, 23; 87, 13; 192, 5. Iam compara cum tribus vel quattuor vel quinque clausulis vere hiulcis Symmachi[3]) vocalium concursus in clausulis admissos et apparebit illum adeo diligentia ab Apuleio

1) 18, 15 ''rogat te' inquit', 30, 15 ''bono animo esto' inquit' eximenda sunt. Hic enim hiatus non solum tolerabilis, immo vero necessarius est, cum orationis pausa intersit inter verbum ultimum et paenultimum.
2) 224, 13 'tute ipse es' infra fusius tractabitur.
3) cf. Havet l. l. p. 80.

superari, ut omnis ars et consilium omne apud illum abesse videatur.

Sed quoniam de hiatu clausularum disputavi, nunc **de monosyllabis** sum dicturus. Clausularum hiulcam compositionem ex scholae doctrina post Quintiliani tempora evitandam esse supra pluribus exposuimus. Artissime huius generis praeceptis cohaerere videtur monosyllaborum ratio. Cicero omnesque, qui eum sectabantur, non dubitaverunt verbo monosyllabo sententiam claudere; Bornecque, la prose métrique dans la correspondance de Cicéron p. 180 sq. monosyllaba in fine sententiarum posita collegit ex Ciceronis epistulis, quibus mea quidem sententia tantum illud evincitur epistulas Ciceronis non ad artem rhetoricam et ad praecepta revocari posse. Nemo est, qui nesciat sermonis vulgaris proprium esse monosyllabis sensus claudere, quo factum est, ut satirici versus hac in re a reliquis valde distent, de qua re infra agam. Scholasticam autem eruditionem deprehendimus in grammaticorum et rhetorum libris, quorum testimonia Bornecque 'quid praeceperint . . .' p. 20 congessit. Docent nos grammatici verbo monosyllabo clausulam finire vitiosum esse.

Iamvero ad Apuleium ipsum accedamus. Satius autem esse puto universa disputatione totum Apuleium amplecti, ut melius perspici possit, quid de monosyllabis Apuleianis iudicandum sit. Omitto autem hic, id quod iam in disputatione de vocalium concursu factum est, omnes clausulas, quae in verbum substantivum cadunt; peculiari enim quaestione has absolvi opus est.

Tradita ergo sunt in omnibus Apulei scriptis, in quibus clausulae ex rhetorum praeceptis formatae sunt — sunt autem praeter metamorphoses scripta de Platone et eius dogmate, de deo Socratis, de mundo — haec tria[1]) monosyllaba in fine enuntiati posita:

214, 6 fons, 224, 21 non fit, m 133, 18 vis. Neque potest dubium esse, quin primus et tertius locus corrupti sint, neque ego primus in illis offendo.

214, 6 tractavit Petschenig in studiis Vindobonensibus I p. 139/140 et demonstravit vestigia memoriae, quae in codice conparent, recte habere; nam in codice priora verba, quae fuerunt 'terra dehiscens ... largissimum emicuit sanguinis fontem', a correctore aliquo male deformata sunt; nam verbo 'emicare' Apuleius transitive usus est, quod comprobatur 254, 1 'rutunditas ... lumen emicabat'.

Alterum locum, quem corruptum esse constat, — m 133, 18 — Krollius in musei Rhenani vol. LV p. 584 recte emendavisse ipsa mea observatio demonstrat. Hoc autem modo Apulei verba sanavit distinguendo post vocem multiformis: 'fit multiformis. ⟨no⟩bis idem a iuvando Iuppiter dictus quem Ζῆνα Graeci . . .'

Iam duobus illis locis propter corruptelas semotis restat 224, 21

1) 20, 4 'intervisimus te' artissime cum eis quae secuntur cohaeret neque clausula enuntiati habenda est.

'nam quod nemo novit, paene non fit.' Quondam putavi verbum monosyllabum, cum esset prorsus singulare in Apuleio, indicare corruptelam. Sed nunc respuo hanc rationem, quam poetae ipsi improbare videntur. Nam quaeri debet, quibusnam modis poetae monosyllabis in fine versuum usi sint.[1]) Neque longo sermone opus esse arbitror ad hanc rem illustrandam. Inde ab Homeri temporibus videmus eam legem vel artem valuisse, ut monosyllabo versum claudere parum placeat. Apud Romanos autem monosyllabum in fine positum non prorsus intolerabile est, si praecedit alterum velut in hoc Sulpiciae versu:

'At mihi quid prosit morbos evincere, cum tu
Nostra potes lento pectore ferre mala.'

Rarissime autem admiserunt poetae Romani monosyllabum non antecedente altero eiusdem ambitus eo certo consilio, ut gravitatem vel acumen assequerentur. Huc spectat illud Horati ep. II 139:

'parturient montes, nascetur ridiculus mus.'

His duabus rationibus omnia fere monosyllaba, quae in fine versuum posuerunt poetae Romani, explicari possunt. Nimirum encliticum verbum 'est' usurpare in ultima enuntiati sede licet, cum per enclisin fiat extrema pars verbi longioris. Pauca ergo pro multitudine versuum monosyllaborum exempla arte metrica non probata restant; inde autem ab Vergili temporibus, cum in dies poetae maiore cum cura versus excolerent, expolirent, limarent, rariores fiunt, id quod paucis exemplis Muellerum secutus illustrare volo: Vergilius quadraginta versus habet, in quibus monosyllabum ultimum eget explanatione ulla, at Ovidius, elegantissimus ille poeta, tantum undecim, Propertius unum, Lucanus unum, Silius duos, Valerius tres, Statius quattuor. Sed ut appareat, qualis ars huic compositioni insit, duos poetas comparare volo: Tibullum et Horatium, qualem sese praestat in satiris; has autem perscrutandas mihi proposui, cum manifestum sit has esse cum sermone cotidiano aliquo modo coniunctas. Afferam autem etiam eos versus, qui copula 'est' concluduntur.

Iam haec monosyllaba in Tibullo inveniuntur: viast I 3, 50, comast I 4, 4; ni sint I 4, 63; victost I 8, 49; causast I 8, 51; viast I 10, 4; puellast II 3, 31; umbrast II 4, 11; victast II 4, 33; Lavinist II 5, 49; tubast II 6, 10; bonast II 6, 44; tibist IV 4, 16.

Unum ergo monosyllabum in omnium Tibulli versuum finibus deprehendimus; neque illud offendit, cum antecedat verbum eiusdem longitudinis; prorsus autem evitat monosyllabum ultimum subiungere polysyllabo paenultimo. Copula 'est' ubique fere inclinatur ad nominativum singularis substantivi primae declinationis; semper fere ă + est

1) cf. L. Mueller de re metrica.

per synaloepham coeunt, singularia autem sunt victost, Lavinist, tibist.

Admirabili arte Tibullus non magis abundat, quam Horatius satirarum poeta indiget, ut par est huic generi versuum. Primo satirarum libro hi versus monosyllabis praecipui insunt: I 11 in urbem est, I 17 hinc vos, I 46 ut si, I 50 centum an, I 56 eo fit, I 62 habeas sis, I 69 de te[1]), I 81 habes qui, I 82 ut te, I 92 habeas plus, I 94 facias quod, I 96 ut se, I 101 aut sic, II 8 ingluvie rem, II 17 quis non, II 18 at in se, II 22 atque hic, II 25 est qui, II 48 in quas, II 49 at hic si, II 69 ego a te, II 72 puella est, II 77 paeniteat te; II 81 aut crus, II 82 togatae est, II 93 longo est, II 96 nam te, II 97 officient res, II 100 tibi rem, II 101 videre est, II 107 similis nam, II 111 modum quem, II 116 num si, II 117 in quem, II 120 exierit vir, II 131 egomet mi, III 5 suam non, III 9 velut qui, III 10 velut qui, III 13 tripes et, III, 19 quid tu, III 21 heus tu, III 30 eo quod, III 32 melior vir, III 39 ipsa haec, III 56 probus quis, III 68 ille est, III 69 aequum est, III 74 aequum est, III 77 cur non, III 78 ac res, III 81 ligurrierit ius, III 91 ob hanc rem, III 94 aut si, III 111 necesse est, III 121 pares res, III 124 sapiens est, III 125 est rex, III 128 sapiens qui, IV 2 virorum est, IV 3 ac fur, IV 14 si vis, IV 23 ob hanc rem, IV 29 eum quo, IV 31 ne quid, IV 32 ut rem, IV 41 uti nos, IV 43 atque os, IV 46 ac vis, IV 56 quae nunc, IV 57 eripias si, IV 58 verbum est, IV 64 tibi sit, IV 67 si quis, IV 70 metuas me, IV 74 medio qui, IV 93 si qua, IV 95 est mos, IV 102 de me, IV 103 liberius si, IV 105 hoc me, IV 110 patriam rem, IV 112 dissimilis sis, IV 116 est si, IV 120 sic me, IV 122 facias hoc, IV 125 malo cum, IV 130 et quis, IV 133 aut me, IV 134 hoc est, IV 142 veluti te, V 5 ac nos, V 56 equi te, V 59 faceres cum, V 78 et quos, V 87 non est, V 102 deos id, V 104 viaeque est, VI 2 est te, VI 27 impediit crus, VI 44 hoc nos, VI 52 non hoc, VI 60 est mos, VI 66 velut si, VI 87 hoc nunc, VI 90 suo pars, VI 98 tuo quod, VI 100 foret res, VI 111 libido est, VI 112 ac far, VI 114 domum me, VI 119 quod cras, VI 120 qui se, VI 128 haec est, VI 130 ac si, VII 13 divideret mors, VII 19 uti non, VII 20 in ius, VII 33 deos te, VII 34 cur non, VII 35 tuorum est, VIII 32 ut quae, IX 1 est mos, IX 5 quae vis, IX 16 est te, IX 19 sequar te, IX 38 intereram si, IX 42 durum est, IX 47 dispeream ni, IX 4? ulla est, IX 57 hodie si, IX 62 venis et, IX 67 loqui te, IX 69 vin tu, IX 73 ac me, X 2 inepte est, X 5 nam sic, X 9 neu se, X 15 secat res, X 16 viris est, X 24 Falerni est, X 25 et cum, X 34 ac si, X 72 legi sint, X 78 cruciet quod, X 89 placeant spe.

---

1) Noli obicere praepositionem propter procliticam naturam cum voce 'te' in verbum bisyllabum coalescere; nam diversa esse videtur ratio diversorum poetarum; Tibullum nusquam tale quid admisisse modo exposui, contra Sulpicia his verbis versum concludit: 'quod iam tibi de me'. cf. quae infra de Apuleio disseram.

Pungunt animum tot Horati monosyllaba, cum in Tibulli mille trecentis quinquaginta versibus tantum unum, in Horati primi satirarum libri mille et triginta versibus centum quadraginta sex in fine posita sint.

Quoniam perstrinxi, qui sit usus monosyllaborum in fine versuum apud poetas Romanos, nunc redeo ad Apulei locum 224, 21 'nam quod nemo novit, paene non fit.' Supra exposui in versibus ferri posse id monosyllabum, quod subsequeretur verbum eiusdem generis; quae cum ita sint, num casu factum est, ut Apuleius scriberet 'non fit'? Non puto quemquam negare posse hic artem et consilium Apulei latere. Maxima cum cura fugit monosyllaba, prorsus autem ea, quae propter antecedens polysyllabum artificiosae compositioni non congruunt. Quod uno exemplo comprobabo: m 115, 12 scribit Apuleius 'hi cum maiore vi torti sunt, fit procella terrestris;' 'terrestris fit' vitiosum fuisset. Iamvero intellegimus nos recte arbitratos esse corruptas duas illas clausulas, quae sic concludant: 214, 6 'sanguinis fons', m 133, 18 'multiformis vis'.

Sed iure aliquis mihi opponat demonstrari oportere in scriptis non ex arte et doctrina rhetorum compositis diversam rationem secutum esse Apuleium. Ac potest haec res comprobari; nam in apologia, in qua, ut anticipem ea, quae paulo post tractaturus sim, Apuleius Ciceronis dicendi genus imitatus praecepta a schola rhetorica secundi p. Chr. n. saeculi ineuntis constituta neglexit, hae clausulae monosyllabae inveniuntur: a 39, 7 sed oro te, a 55, 21 mecum scis, a 55, 23 quid vis, a 89, 18 quid vis; inter has clausulas 'oro te' et 'mecum scis' propter bisyllabum paenultimum notabiles sunt.

Apuleius 224, 21 monosyllabo in fine posito offendere non videtur[1]); accedit illa quoque causa, quod tota oratiuncula, ut infra ostendere conabor, singulariter composita est, quod enuntiatum, de quo agitur, peculiarem speciem praeter trochaeorum rhythmum prae se fert; duo cola enim, quibus continetur, exeunt in 'novit' et 'non fit', agnominationis ergo figura rhetorica utitur Apuleius. Denique estne pro sententiae natura absurdum hic de proverbio cogitare? Videmus pluribus ratiocinationibus evinci posse recte habere clausulam 224, 21. Nullum ergo in eis Apulei scriptis, quorum clausulae artificiose compositae sunt, praeter illud restat monosyllabum. Studium autem Apulei in verborum monosyllaborum collocationibus apparet in metam.: 59, 23 dat vivis carbonibus adolendos, 62, 12 fit bubo Pamphile, 85, 11 clara lux oppressit, 126, 9 nox exanclata, 192, 20 secum rem suam ferat, 193, 29 sors haec erat, 228, 24 haec[2]) ad ordinem pertulit, 257, 7 sol exurgit aureus, 270, 12 sol curvatus intrahebat vesperam, 274, 1 res in ambiguo stetit.

---

1) Velim conferas 96, 16 'ibi non est' et p. 90, 6 'malum non est' m 117, 24 'nomen est' de quibus locis infra agetur.

2) Pronomen 'hic' in fine posuit Cicero ad Attic. IV 1 § 7 'Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc.'

Ac ne diutius loquar de monosyllabis, unam tantum adicio rem dignam, quae non neglegatur. Notum est praepositiones[1]) per proclisin coniunctas cum verbo sequenti pronuntiatas esse, qua de causa non immerito aliquis putet coniunctiones velut 'ad te', 'in me', 'per se' 'a te' 'in ius' 'in spem' 'in re' et quae eius generis sunt in fine enuntiatorum admitti posse, cum ex duobus verbis unum bisyllabum factum sit. Certe improbanda est ratio, qua usus est Bornecque in libro de epistulis Tullianis, qui p. 180 dicit eliminanda esse monosyllaba ea 'qui s'appuient étroitement sur le mot précédent et forment groupe avec lui.' Hac nimirum doctrina putat explanari posse clausulas velut illam Ciceronis ad Attic. XVI 16 § 18 'Nemo nos in hac causa plus iuvare potest quam tu.' Quis dubitare potest, quin hic pronomen 'tu' plena cum vi proferatur et sui iuris sit; Gallice vertendum est illud non 'tu' sed 'toi'. Neque magis Cicero in epistulis quam Horatius in saturis explicatione ulla indiget. Sed haec alia quaestio, nos ad propositum revertamur; quaeritur, num admittantur ea **monosyllaba, quae cum verbo antecedenti propter accentum in unum coalescunt.** Apuleius talem quoque clausularum compositionem ex artis praeceptis vitandam fuisse ostendit. Nullum enim huius generis exemplum habet atque consulto id factum esse comprobari potest. Quamquam enim Apulei proprium est verbum ultimae voci anteponere — quod qua de causa factum sit, postea patefacere studebo — tamen haec inveniuntur: 98, 26 quid iam de te tuus maritus expecto, 156, 10 in me comminiscitur, 163, 4 a me pernicies, 177, 11 ad nos inquit, 208, 29 nihil triste de me tibi, fili, metuas, 223, 24 ad se vocari praecipit filium, 234, 5 ad me dirigunt animos, 253, 23 ante me constitisse visum est, 257, 2 in se recessit, 263, 26 in me populi fabulabantur, 275, 27 consuluerunt in me sacerdos uterque.

1) cf. Corssen II p. 862 sq.; Leo, Bemerkungen über plautinische Wortstellung und Wortgruppen, Nachr. d. Gött. Ges. d. Wissensch. 1895 p. 417 sq.

VITA.

Natus sum Alfredus Kirchhoff pridie Idus Februarias anni saeculi praeteriti LXXVIII patre Guilelmo matre Johanna e gente Frömling. Patrem gravissimo fato ereptum lugeo, optima matre superstite glorior. Fidei addictus sum evangelicae.

Brunsvigae litterarum elementis indutus per novem annos Gymnasium Novum, quod dicitur, frequentavi. Postquam maturitatis testimonio instructus sum, vere anni XCVII inter almae matris Georgiae Augustae cives receptus studiis philologicis et geographicis decem semestria dedi. Regii philologorum proseminari et seminari sodalis ut essem, quorum sodalis ordinarius per ter sex menses, per quater senior, Leonis et Kaibeli beneficio factum est. Ad exercitationes geographicas Wagner, philologicas Schulze, historicas Busolt benigne me admiserunt. Imprimis docuerunt me Dilthey, Kaibel, Leo, Schulze, Wagner. Numquam obliviscar, quid debeam cum his viris omnibus tum Leoni et Kaibelio, quorum doctrina et humanitas inde a studiorum rudimento me foverunt, qui communi benignitate huius dissertationis originem et progressum persecuti sunt. Finem non licet dicere; nam alterum praemature migrasse illuc, unde negant redire quemquam, nos omnes ex intimo animo conquerimur et deploramus. Sit ei terra levis!

Denique debitas gratias referre volo philologorum Gottingensium sodalicio, quod grato convivio hominem et consociatis studiis otiosum auxerit.